

Publication/Creation

13 May 1948

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jj3xf2zj>

License and attribution

Wellcome Library; GB.

Conditions of use: it is possible this item is protected by copyright and/or related rights. You are free to use this item in any way that is permitted by the copyright and related rights legislation that applies to your use. For other uses you need to obtain permission from the rights-holder(s).

- A** Necessè enim est ex ea apprehensione virtutem cordis non communicari cerebro, ideo tolli sensum & motum voluntarium toti corpori: at non est necessè oppleri adeo pulmonem, vt suffocetur. Sed illud speculatione dignum videtur, propter quid ex vinculo intumescunt venæ vltra locum apprehensum, non citra: quod experimento sciunt, qui uenam secant: vinculum enim adhibent citra locum sectionis, nō vltra: quia tument venæ vltra vinculum non citra. Deuisset autem opposito modo contingere, si motus sanguinis & spiritus à visceribus fit in totum corpus: intercepto enim meatu non vltra datur progressus: tumor igitur venarum citra vinculum deuisset fieri. An soluitur dubitatio ex eo quod scribit Aristoteles de som. cap. 3. vbi inquit. Necessè enim quod euaporatur aliquo usque impelli, deinde cōverti & permutari sicut Euripū: calidum enim cuiusque animalium ad superiora natum est ferri: cum autem in superioribus locis fuerit, multū
- B** simul iterum reuertitur, ferturque deorsum: Hæc Aristoteles. Pro cuius loci explicatione illud sciendum est: Cordis meatus ita à natura paratos esse, vt ex vena caua intromissio fiat in Cordis ventriculum dextrum, vnde patet exitus in pulmonem: Ex pulmone præterea aliū ingressum esse in cordis ventriculum sinistrum, ex quo tandem patet exitus in arteriam Aortam, membranis quibusdam ad ostia vasorum appositis, vt impediunt retrocessum: sic enim perpetuus quidam motus est ex vena caua per cor & pulmones in arteriam Aortam: vt in quæstionibus peripateticis explicauimus. Cum autem in vigilia motus caloris natiui fiat extra scilicet ad sensoria: in somno autem intra, scilicet ad cor: putandum est in vigilia multum spiritus & sanguinis ferri ad arterias, inde enim in neruos est iter. In somno autem eūdem calorem per venas reuerti ad cor, non per arterias: ingressus enim naturalis per venam cauam datur in cor, non per arteriam. Indicio sunt
- C** pulsus, qui expergiscantibus fiunt magni, vehementes, celeres, & crebri cum quadam vibratione: in somno autem parui, languidi, tardi, & rari 3. de cau. pul. 9. & 10. Nam in somno calor natiuus minus vergit in arterias: in easdem erumpit vehementius, cum expergiscuntur. Venæ autem contrario modo se habent: nam in somno fiunt tumidiores, in vigilia exiliores, vt patet intuenti eas quæ in manu sunt. Transit enim in somno calor natiuus ex arterijs in venas per osculorum communionem, quam Anastomofin vocant, & inde ad cor. Vt autē sanguinis exundatio ad superiora, & retrocessus ad inferiora instar Euripi manifesta est in somno & vigilia, sic non obscurus est huiusmodi motus in quacumque parte corporis vinculum adhibeatur, aut alia ratione occludantur venæ. Cum enim tollitur permeatio, intumescunt riui qui qua parte fluere solent. Fortè recurrit eo tempore sanguis ad principium, ne intercisis extinguatur. Non efficit autem suffocationem